# THEOLOGICA PANEGYRIS

IN DOCTORATU

*PERILLVSTRIS ATQ. ADM. REV. D.*

ANTONII MICHAELIS TANFANI

FLORENTINI SACERDOTIS


*Apud Excellentiss. Universitatis Florentinæ*

*THEOLOGOS*

DICTA

A MARCO DE RUBEIS

In Eadem Universitate Theologo.





FLORENTIÆ, MDCXCVII.

Apud Petrum Matini sub Signo Leonis Aurei.

*SUPERIORUM PERMISSU.*

# THEOLOGICA
# PANEGYRIS

IN DOCTORATU

[illegible]

ANTONII MICHAELIS

T A N P A N I

FLORENTINI SACERDOTIS

*Apud Excellentiss.* [illegible]

THEOLOGOS

[illegible]


A MARCO DE RUBEIS

[illegible]



FLORENTIAE, MDCXCVII.

[illegible]



# LAUREA



OBlivionis umbris æternis obrutus, Illustriss. ac Reverendiss. Præsul, Excellentiss. Patres, oblivionis, inquam, umbris æternis obrutus sanè jaceret inglorius Monstrorum ille Terror, ac Domitor inclytus Alcides: decantati hujus Herois in Laudibus, catenato jam tot seculorum fluxu non tantoperè desudarent adhuc ingenia, neque tot ac tantas res præclarè gestas, tot ac tantos labores fæliciter exantlatos Terra literatis elogiis, Cœlum astris immortalibus certatim, sic loquar, coronarent; si mollioris ætatis in Bivio Veneri Amorum Deæ, ut puer incautus adhæsisset, non verò Armorum Sapientiæque Deam Palladem maturo consilio sapiens esset insequutus. Floribus Venus alliciebat Herculem ad perniciem ad ignominiam: Vepribus Pallas invitabat ad Palmas ad Gloriam. Viam igi-

tur a Pallade Vepribus undequaque ſtratam teneris adhuc pedibus inſtitit Hercules : & hoc potiſſimum in cauſa fuit, ut poſt eliſos in cunis angues, Clavà manum armaret in Leonis & Hydræ, in Draconis, & Cerberi, in Monſtrorum omnium multiplicem fortunatamque Victoriam & Triumphum.

Et quæ, Patres Excellentiſſimi, Calamo meo materies obtingere poterat opportunior, ut in Ampliſſima Florentinorum hac Theologorum Celebritate, ac Frequentia Perilluſtri atque Admodum Rever. Antonio Michaeli Tanſani non communem quidem, ſed maximè propriam Theologicam Laurum intexerem; quàm Herculis hæc amœnitatis plena, myſteriorum dives Hiſtoria ſimul & Fabula.

Herculeis in manibus Clavam unicam Monſtris omnibus edomandis parem nemo eſt, qui non attonito ſimilis obſtupeſcat. Cum ego in Antonii Michaelis Tanſani Gentilitio Stemmate duplicem Clavam intuear; quis prohibet, quominus eæ mihi ſint amœnum æquè ac proprium præſentis commendationis argumentum? cur Antonium Michaelem Tanſanium Alcide propiorem dicere non auſim? is enim puerili florens ætate ſeculi Prætextam exuens, ut ſacram Togam indueret, juveniles exoſus jocos, ſtudiorum ſenticeta premere non hor-

ruit; adeò ut Herculi perantiquo possit aliqua ratione creare invidiam.

Vix è numero sacræ Pubis unus in Domini sortem ipsi Clericali Tonsura venire contigit; ut Hercule fortunatior non Palladem ementitam, sed Virginem eamdemque Incarnatæ Sapientiæ Matrem Sapientissimam Literarum, & Morum suorum Auspicem sortitus fuerit. Sub claro Pietatis, & Doctrinæ Lumine Collegij nostri Excellentissimo Patre Dom. Laurentio Venzi Pervigili nunc S. Cæciliæ Plebano, & olim in celeberrimo S. MARIÆ NOVÆ NOSOCOMIO Literarum Humaniorum Professore cultissimo, eos in Literis & moribus habuit progressus, ut Vicarias Magistri Vices absente Magistro non raró gesserit. Sub altero nostræ Universitatis Excellentiss. Patre æquè Docto ac Pio D. Andræa Barducci, qui Sanctæ MARIÆ A FLORE dictæ Clericos in Metropolitano Seminario Philosophiæ præceptis imbuit, Philosophicæ Rei Tyrocinium posuit; & Theologicæ sub solertissimis Scholarum Piarum Moderatoribus: iis, inquam, Patribus, qui MATRIS DEI vocabulo gloriantur; & qui conatus suos omnes, curam omnem & industriam, omnia vitæ studia in hoc potissimùm impendunt, ut Juventutem bonis Artibus erudiant, bonisque Moribus informent, & assiduis Concioni-

cionibus, ſacraque Doctrina Chriſtum Fidelium Animis inſerant. Quod illis quanta cum laude contingat non dixerim, cum Supremi Numinis Gloriam non ſuam ſpectent; ſed abſque dubio non ſine maximo commendabilique Chriſtianæ Reipublicæ emolumento. Neque ſtudiis id genus, in quæ pronis animis Antonius Michael incubuit, & quibus ſe ex profeſſo devovit, ejus expletur aviditas. Nobiliſſimas haſce contemplatricis Animæ Facultates apud Excellentiſs. D. Jacobum Dyoniſium Rillium Præſtantiſſimum Cauſarum Patronum, & in Florentino Athenæo publicum Juris Profeſſorem Juridica Facultate maritat.

Quis hìc mihi canoro mendacio memoret Herculem in Heſperidum Hortos Clavæ beneficio, Dracone ſomnum æternum dormire juſſo, irrupiſſe, ut indè Aurea Poma aſportaret. Antonii Michaelis Tanſani manus armata calamo perdidit inertiam, ut in literatos Muſarum Amœniorum ac Severiorum Hortos mereretur ingreſſum, fieretque non per fabuloſas Heſperidas, ſed per Viros & à Vita & à Fama integerrimos aureis ſcientiarum, morumque pomis abundè locuples.

Satis, opinor, ſuperque Vobis liquet, Excellentiſſimi Patres, ad ingenuas Artes Antonii Michaelis Tanſani pronior Indoles: & eſt curæ

ad

ad omnia laudis exempla genitum ſperet Senatus hic Theologicus; cum rectam ejus mentem non detorſerint aut inertiæ blandientis illecebræ, aut prava ſodalium conſilia, aut ætas lubrica ab eruditis vigiliis umquam avocaverint. Mihi præſagit animus è re Theologicæ Dignitatis fore, Vos non gravari hujuſmodi Juvenem in veſtrum adſcribi numerum.

Hinc neque parcus attigero, neque nimius perſequutus ero morum ejus, & ſtudiorum decora. Non parcus ne liventi ſimilis, non contra nimius, ne blandienti proximus cuipiam fortè fortuna videar. Geminam hanc turpemque notam ab Oratione mea prudens amoveam, & citrà veritatis injuriam integram ingenuamque Panegyrin in veſtram ſuamque pleniſſimam Commendationem candida verborum parſimonia non mendacij reus intexam, ſi dixero. Habetis Virum, Patres Excellentiſſimi, Vobis dignum, & quo veſtra Dignitas non erubeſcat, ubi veſtra ſuffragia dignum duxerint, qui nobiliſſimo Virtutis Præmio Theologica Lauru coronetur in præſens.

Suos igitur humeros Nemeæi Leonis Pelle veſtitos oſtentet Hercules: Oſtentet Populea Corona Frontem impeditam, munitas Clavà manus, & Aſtra, inter quæ ut Cœleſtis Heros effulget, oſtentet. Tu Antoni Michael Tanſani

Her-

Herculi non invideas, si tuos humeros ornet hæc Pellita Chlamys, si tuæ Frontis Decus immortale sit hic Pileus; si manuum tuarum ornamenta conflet hic Annulus, conflet hic Liber. Et si Monstra vitiorum, & Hydras hæresum integer vitæ scelerisque purus, & æquè sapiens profligaveris non inter astra post cineres in Firmamento, ut Fabularum Hercules, sed citrà Fabulam super astra fulgebis in perpetuas æternitates in Empyreo.

DEO LAUS.



